

ardentiorè animo, ad probandam animæ spiritualitatem aliamve quamlibet sanctæ Religionis doctrinam, refellendas sibi assumunt varias Catholicorum, atque incorruptæ fidei Philosophorum hypothèses; hi quidem dum religioni prodesse volunt, aliquando nocent plurimum, impiisque Fidei hostibus arma subministrant.

Itaque sanctissima Fidei decreta a Philosophorum placitis secernere religiosissime studebo. Quia vero in rebus Metaphysicis incerta sunt plurima, cognitionum nostrarum vel saltem mearum limites, pro ingenii mei tenuitate, præscribere conabor, atque tandem sæpe sæpius rerum obscuritatem aut meam ignorantiam ingenue fateri non verebor. In hac autem Metaphysicæ parte, quæ ad mentis facultates atque actiones spectat, monendi sunt studiosi Adolescentes ut sibi metipsis, animæ scilicet, magis quam libris studeant; est enim Metaphysicæ pars illa veluti *physica experimentalis* animæ, quæ quidem a vulgari *physica experimentalis* hoc maximo differt discrimine, quod in hac ultima tentari atque institui possint nova & hæcenus inaudita experimenta; at quod animam nostram